

haberet, ad partes illas tradita fuit viro. Illa docuit *Fratrem* vias, per quas esset iturus, asserens, quod ad duas diaetas ipsos possit *VNGAROS*, quos quaerebat, procul dubio inuenire. Quod et factum est. Inuenit enim eos iuxta Fluum magnum *Ethil* *). Qui eo viso, et quod esset *VNGARVS* intellecto, in aduentu ipsius non modicum sunt gauisi: circumdantes eum per domos et villas, et de Rege et Regno Christianorum Fratrum ipsorum fideliter perquirentes. Et quidcunque volebat tam de fide, quam de aliis eis proponere, diligentissime audiebant, quia omnino habebant *Vngaricum idioma, et intelligebant eum et ipse eos*. Pagani sunt, nullam Dei habentes notitiam. Sed nec Idola venerantur, sed sicut bestiae viuunt. Terras non colunt: carnes equinas, lupinas, et huiusmodi comedunt: lac equinum et sanguinem bibunt. In equis et armis habundant, et strenuissimi sunt in bellis. Sciunt etiam per reuelationes antiquorum, quod isti *VNGARI* ab ipsis descenderant: sed ubi essent ignorabant. Gens *Tartarorum* vicina est eis: sed iidem Tartari committentes cum eis, non poterant in bello eos deuincere; imo in primo praelio deuicti sunt per eos. Vnde ipsos sibi amicos et socios elegerunt. Itaque simul iuncti XV Regna vastauerunt omnino. In hac *VNGARORVM TERRA* dictus *Frater* inuenit *Tartaros*, et *nuncium Ducis Tartarorum*: qui sciebat *Vngaricum, Ruthenicum, Cumanicum, Teutonicum, Sarracenicum et Tartaricum*. Qui dixit, quod exercitus *Tartarorum*, qui tunc ibidem ad quinque diaetas vicinus erat, contra *Alamanniam* vellet ire. Sed alium, quem ad destructionem *Persarum* miserat, expectabant. Dixit etiam idem, quod

*) *Niceph. Call. et Simocattae*, hic *Theoph. Sigefr. Bayeri* ad Patrem meum, *Math. Belium, Epistolam*, in huius *Adparatu ad Hist. Hung. T. I.* *Turcis Niger; Armenis Tamar; Europaeis Rba, et Volga* dicitur: v. p. 409.